NATALICIA

REGIS AUGUSTISSIMI

FRIDERICI GUILELMI IV.

A. D. XV. M. OCTOB.

HORA XII.

IN AUDITORIO MAIORE

CELEBRANDA

INDICUNT

UNIVERSITATIS REGIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR ET SENATUS.

INEST

G. F. SCHOEMANNI PROLUSIO DE RELIGIONIBUS EXTERIS APUD ATHENIENSES.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. UNIVERS. TYPOGR.

MDCCCLVII.

1857

Plato, Legg. X, 15 p. 909, ubi exponit, quales de religione cultuque deorum leges in civitate bene constituta observandae sint, sacra civium privata ac domestica, quae in sua quisque domo faciat, prorsus arcenda esse statuit: ἱερά, inquit, μηδὲ εἷς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω. Comparavit hanc legem Astius cum ea, quae a Cicerone praescribitur, de Legg. II, 8, 19: Separatim nemo habessit deos, neve novos sive advenas nisi publice adscitos privatim colunto; sed apparet tamen quantum intersit. Nam Cicero, licet novos sive advenas deos privatim coli vetet, nisi publice adsciti sint, ipsum tamen genus sacrorum privatorum, in quibus sunt Larum, Penatium, deorum Manium religiones, tantum abest ut vetet, ut ea, quemadmodum a maioribus tradita sint, perpetuo conservari ac deinceps posteris prodi iubeat[1]). Contra Plato non modo novos sive advenas, sed nullos omnino deos privatim coli vult, unde consequitur in eius civitate neque arae Jovis Hercii neque patritorum (πατρῴων) deorum larariis, neque ulli alicuius numinis sacrario in privatorum aedibus locum concedi, neque sacrificia ulla diis offerri posse nisi in publicis templis, assistentibus etiam sacerdotibus publice

1) L. l. c. 9, 22: Sacra privata perpetua manento. c. 19, 48: de sacris autem — haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur et, ut in lege posui, perpetua sint sacra.

constitutis, quemadmodum ipse praecipit: θύειν δ' ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινί, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων, καὶ τοῖς ἱερεῦσί τε καὶ ἱερείαις ἐγχειριζέτω τὰ θύματα, οἷς ἁγνεία τούτων ἐπιμελής. Id quam ob causam praeceperit tamque diligenter omnem privatorum sacrorum usum interdixerit, ex ipsius disputatione cognosci potest. Nam homines imperitos, praecipue mulierculas, si quando aut morbis aut periculis aut aliquo graviore malo opprimantur, aut somniis atque ostentis terreantur, ad eiusmodi sacra confugere solere, quibus propitiari deos posse opinentur, nec deesse improbos quosdam atque impios impostores, qui credulos animos prava superstitione impleant, donisque et sacrificiis quibusdum oblatis deorum iram placari et peccatorum veniam impetrari posse affirment, cui superstitioni quo minus indulgeri per sacra privatim et intra parietes facta possit, idcirco hoc omne genus arcendum esse: ἵνα μὴ ἱερά τε καὶ βωμοὺς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἱδρυόμενοι λάθρα τοὺς θεοὺς ἵλεως οἰόμενοι ποιεῖν θυσίαις τε καὶ εὐχαῖς αὐτοῖς τε ἐγκλήματα πρὸς θεῶν ποιῶνται καὶ τοῖς ἐπιτρέπουσι, καὶ πᾶσα οὕτως ἡ πόλις ἀπολαύῃ τῶν ἀσεβῶν τρόπον τινὰ δικαίως. Sed ab hac ratione, quam in sua civitate Plato sequitur, Graecorum civitates omnes longissime remotae erant, qumque illud ipsum genus superstitionis, cui is lege sua occurrendum statuit, apud omnes in publicis religionibus dominaretur, non erat profecto, cur etiam privatim deos propter eandem superstitionem placari vetarent. Itaque non modo interdicta sacra privata nusquam videmus, sed cautum ubique, ne, quae antiquitus tradita erant, per socordiam interirent, neve quidquam in hoc genere honorum diis debitorum intermitteretur, quae cura ut communis erat Graecis cum Romanis, sic eandem etiam in Ciceronis legibus commendari vidimus. Quod autem praeterea adiungitur a Cicerone, ne quis novos deos sive advenas nisi publice adscitos privatim colat, hoc num Graecarum civitatum legibus similiter cautum fuerit, ambigitur. Ac de ceteris quidem, quarum instituta propter monumentorum ac testimoniorum defectum parum cognita

sunt, etiam ex hoc genere nihil nobis innotuisse non sane mirandum est; sed de Atheniensibus quoque, quorum minus obscurata memoria est, haudquaquam satis constat. C. F. Hermannus quidem, diligentissimus antiquitatum graecarum indagator, cultus exteros h. e. exterorum deorum sacra apud Graecos aut certe apud Athenienses legibus interdicta fuisse tribus saltem testimoniis probari autumat[2]), reprehenditque Lobeckium, virum subtilissimum, qui iisdem illis testimoniis propositis nihilo minus tamen dubitare se professus sit, an ullum sacrorum genus publicis Atheniensium legibus prohibitum fuerit[3]).

Mihi autem testimonia ista, quibus tantopere Hermannus confidit, aut nihil prorsus ad rem pertinere, aut certe non id quod ille vult probare videntur, maloque cum Lobeckio dubitare, quam rem incertam pro certa amplecti: huiusque sententiae meae rationes hoc loco exponere placuit.

Primum igitur examinandum est testimonium Demosthenis, qui in oratione ctr. Aeschinem de male gesta legatione, §. 281. p. 431 R., adversarium quovis modo invidiose detrectans, Glaucotheae eum filium appellat, eius, quae thiasos olim congregaverit eaque sacra factitaverit, quorum causa alia quaedam sacerdos supplicio affecta sit. Sacra illa Sabazia fuisse aliunde compertum habemus: de altera sacerdote vetus interpres docet, fuisse eam Ninum quandam, eamque a Menecle accusatam esse, quod philtra adolescentibus pararet: *λέγει δέ,* inquit, *τὴν Νίνου λεγομένην· κατηγόρησε ταύτης Μενεκλῆς ὡς φίλτρα ποιούσης τοῖς νέοις:* id quod non ex coniectura ab eo positum, sed veterum monumentorum fide traditum esse facile agnoscitur[4]). Videtur igitur Ninus non tam propter

2) Antiquitt. Graec. sacr. §. 10 not. 10.

3) Aglaopham. p. 667.

4) Extabat oratio *κατὰ Μενεκλέους ἀπαγωγῆς* a Nini illius filio contra matris quondam accusatorem habita (vid. Dionys. de Dinarch. c. 11.), ex qua oratione aut ipse scholiastes, aut is quem hic auctorem sequitur, discere fortasse potuit quae de Nini causa refert. Ceterum

sacra accusata damnataque esse, quam propter veneficia sacrorum obtentu parata. Scilicet mulier impura, quo plures alliceret thiasotas, Sabazium suum etiam hoc nomine commendabat, quod quum alia multa cultoribus suis beneficia praeberet, tum etiam hanc amantibus opem praestaret, ut per medicamenta quaedam cum eius numinis invocatione certisque caerimoniis parata eorum, a quibus se amari vellent, animos sibi devincirent. Eiusdem Sabazii etiam Glaucothea sacerdos fuit, quae licet fortasse nunquam ad veneficia sacris abusa sit, non tamen obstare hoc Demostheni potuit, quo minus eam cum altera Sabaziorum antistite tanquam similem ac parem componeret, neque curaret quaerere, supplicium huic utrum propter sacra, an propter veneficia sacrorumque abusum inflictum esset [5]). Tam religiosam veritatis observationem, prae-

publicam hanc sacerdotem fuisse nemo credet, non magis quam Glaucotheam: *ἱερείας* vocabulo nihil nisi sacrificula significatur. Et ne civis quidem fortasse fuit: certe nomen eius peregrinitatem prodere videtur. Quod quum filius eius, is a quo postea Menecles accusatus est, civis sine dubio fuerit, statuendum erit, hunc aut *δημοποίητον* fuisse, aut patrem civem habuisse. Scimus enim proximo ante Aristophontis legem et Euclidem archontem tempore civitatem etiam iis, qui patrem tantum civem, matrem peregrinam haberent, non denegatam esse (vid. Antiqu. i. p. Gr. p. 198. Griech. Alterth. 1 p. 359.), neque quidquam obstat, quo minus hoc tempore illum Nini filium natum esse credamus, cuius adversarius Menecles si idem fuit, de cuius hereditate extat Isaei oratio, sic quoque temporis ratio congruit. Nam hunc ego, comm. in Isae. p. 199, circiter ann. 360 mortuum esse ostendi: ad summam senectutem pervenisse ex ipsa oratione cognoscitur, quamobrem natus videri debet circ. ann. 435 aut 440, h. e. triginta amplius annis ante Euclidem archontem. Nini autem causa non multis ante hunc annis acta esse videtur.

5) Verba Demosthenis, *Γλαυκοθέας τῆς τοὺς θιάσους συναγούσης, ἐφ' οἷς ἑτέρα τέθνηκεν ἱέρεια*, hanc unam interpretationem admittunt, ut altera illa sacerdos propter thiasos, quales Glaucotheae sint, damnata esse dicatur, neque assentior Lobeckio, qui Agl. p. 666 *ἐφ' οἷς* etiam pro indefinito *δι' ἅ* accipi posse putat, ut non thiasi, sed aliud quid, quo minus definite, hoc invidiosius significetur. Neque enim grammatica ratio hoc patitur, et satis invidiosum hoc ipsum est, quod sic utriusque sacerdotis thiasi tanquam eiusdem generis iisdemque flagitiis inquinati designantur. De scholiasta Dem., quem Lobeckius alteram interpret. secutum esse credit, infra dicemus.

sertim in adversario exagitando, longissime a veterum oratorum more remotum esse satis constat.

Alterum testem Hermannus Plutarchum appellat, vit. Demosth. c. 14, quem quo consilio citaverit et quidnam huius testimonium facere posse crediderit ad sententiam suam comprobandam nemo facile perspiciet. Nihil enim Plutarchus nisi Theoridem quandam (sive Theodoridem) sacerdotem a Demosthene accusatam condemnatamque esse narrat quum propter alia delicta, tum quod servitia ad fallendum fraudemque dominis faciendam instrueret: κατηγόρησε δέ, inquit, καὶ τῆς ἱερείας Θεωρίδος, ὡς ἄλλα τε ῥᾳδιουργούσης πολλὰ καὶ τοὺς δούλους ἐξαπατᾶν διδασκούσης· καὶ θανάτου τιμησάμενος ἀπέκτεινε. Neque igitur cuiusnam dei sacerdos fuerit, nec qualia sacra fecerit ex his Plutarchi verbis intelligi potest. De eadem Theoride etiam is loquitur, cuius est oratio prima in Aristogitonem, quae exstat inter Demosthenicas, p. 793, Lemniam eam et φαρμακίδα dicens, veneficiis cum incantationibus usam; itemque Harpocratio, qui ex Philochoro refert, haruspicam (μάντιν) fuisse et impietatis crimine damnatam. Impietatis propterea postulari potuit, quod sacris, itidem ut Ninus, ad veneficia cum incantationibus abusa esset: exotica haec et peregrinorum numinum sacra fuisse, quamvis credibile sit, tamen a nullo proditum est, et si maxime proditum esset, vel sic non liqueret, haec sola, etiam absque veneficii crimine, ad condemnationem suffectura fuisse.

Magis ad rem pertinet Josephi testimonium, adv. Apion. II, 37. Is enim non modo Ninum illam, de qua supra diximus, propterea damnatam esse ait, quod initiaverit homines exterorum deorum sacris, sed addit etiam, hoc Atheniensium legibus prohibitum et capitali poena sancitum fuisse, ne quis exteros deos introduceret: Νίνον μὲν γὰρ τὴν ἱέρειαν ἀπέκτειναν, ἐπεί τις αὐτῆς κατηγόρησεν, ὅτι ξένοις ἐμύει θεοῖς. νόμῳ δ' ἦν τοῦτο παρ' αὐτοῖς κεκωλυμένον, καὶ τιμωρία κατὰ τῶν ξένον εἰσαγόντων θεὸν ὥριστο

θάνατος.[6]) Disertum sane testimonium, sed auctoritatis perquam dubiae, aut potius nullius. Primum enim de causa damnationis obstat Josepho scholiastae Demosthenici relatio, quae propter id ipsum, quod non hanc, in quam quilibet facile coniectando inciderit, sed aliam causam memorat, fide digna videri debet. Neque difficile est ad perspiciendum, unde Josephi error natus sit. Nempe scholiastam illum aut scholiastae auctorem non noverat, hoc autem ex ipso Demosthene intellexerat, Ninum itidem ut Glaucotheam Sabazii sacra factitasse iisque homines initiasse, Sabazium vero peregrinum deum esse sciebat, cuius sacra non antiquitus recepta, sed recentius demum invecta essent. Hinc igitur quum horum sacrorum antistitam damnatam et morte multatam videret, etiam ipsa haec sacra damnationis et supplicii causam fuisse coniiciebat, eamque coniecturam tanto libentius amplectebatur, quod confirmari hoc exemplo videret id quod probandum sibi sumpserat, non minus exterarum religionum apud Graecos quam apud Judaeos odium fuisse[7]). Porro autem quum nulla causa esset dubitandi, quin poena Nini legitima fuisset, hoc quoque confidenter addidit, legem apud Athenienses fuisse qualem supra ipsius verbis perscripsimus. Neque ego Josephum malae fidei insimulo: immo plane persuasum ipsi fuit de coniecturae suae veritate, quum praesertim etiam Socrati hanc damnationis causam, si non unam, tamen praecipuam fuisse crederet, quod, ut ipse ait, *καινοὺς ὅρκους ὤμνυε καί τι δαιμόνιον αὐτῷ σημαίνειν ἔφασκε*, quod crimen non longe saltem ab illo altero diversum vide-

6) In editionibus vulgo scribitur: *νῦν μὲν γάρ τινα ἱέρειαν*. De veritate correctionis a Lobeckio Agl. p. 668 propositae nemo dubitabit. Alterum vitium *ξένους θεούς* tacite corrigendum fuit.

7) Vid. cap. 36: *ὁ Μόλων Ἀπολλώνιος ἡμῶν κατηγόρησεν, ὅτι μὴ παραδεχόμεθα τοὺς ἄλλαις προκατειλημμένους δόξαις περὶ θεῶν. ἀλλ᾽ οὐδὲ τοῦτό ἐστιν ἴδιον ἡμῶν, κοινὸν δὲ πάντων, οὐχ Ἑλλήνων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκιμωτάτων.*

batur. Sed de Socrate postea dicendum erit. Josephi autem illam legem quanto diligentius considero, tanto minus mihi credibilem videri profiteor. De peregrinis diis loquitur. Quinam sunt igitur dii peregrini? Illi, arbitror, quos Aristophanes alicubi barbaros dicit, h. e. apud barbaros culti, Graecis ignoti. Atqui hi ipsi tamen barbarorum dii Graecis nomine magis et opinione quam re ipsa et natura diversi a suis esse videbantur. Nam vera deorum nomina ne sibi quidem nota esse intelligebant, idque etiam in precibus profiteri veniamque erroris petere solebant[8]): quam ob rem non erat profecto, cur barbara nomina diis minus grata et accepta quam graeca esse crederent. De personis autem ac formis divinis, et quae cuiusque propria munera, quae potestas, quod numen esset, non ignorabant quidquid traditum apud se esset opinionibus potius et coniecturis quam certa et indubitabili scientia constare, veramque rerum divinarum cognitionem sibi solis contigisse, aliis denegatam esse, non gloriabantur[9]). Hinc igitur, quamvis in universum tenaces essent patriarum religionum, et iis potissimum nominibus deos invocandos, iis sacris colendos esse crederent, quae essent in quaque civitate a maioribus tradita[10]), tamen alia nomina aliosque ritus cur diis prorsus invisos, ideoque arcendos a civitate et ne in privatis quidem sacris tolerandos esse putarent, nulla probabilis causa erat, immo verendum potius, ne, si nimis in hoc genere morosi essent, debitis etiam gratisque honoribus deos fraudarent. Peregrinis quidem certe hominibus, qui ex aliqua barbarorum terra, e Thracia, Mysia, Phrygia, Caria,

---

8) Vid. Plat. Cratyl. p. 400, cum Heindorfii comm., eiusdemque annot. ad Horat. Sat. II, 6, 20, nosque ad Aeschyl. Prometh. p. 98.

9) Conf. Opuscul. ac. I p. 335.

10) Hesiod. ap. Porphyr. d. abst. II, 18: *ὥς κε πόλις ῥέζῃσι· νόμος δ' ἀρχαῖος ἄριστος.* Add. Draconis legem ap. eundem IV, 22: porro Cic. de legg. II, 16, 40. Xenoph. Mem. I, 3, 1. IV, 3, 16 et alia apud Naegelsbach. d. nachhom. Theologie des gr. Volksglaubens, p. 201.

Aegypto in Graeciam immigrassent graecarumque civitatum inquilini facti essent, interdici nullo modo poterat, quominus deos suos domesticos venerarentur sacraque patria retinerent, quippe quae omitti sine summa impietate non posse censerentur. Inquilinorum autem quum in aliis civitatibus, quae exterorum commerciis florebant, tum praecipue Athenis magna multitudo fuit, nec pauci eorum barbarae originis[11]): unde consequitur etiam barbarorum deorum sacra privata apud hos non defuisse, quorum si quis civitatem nancisceretur, id quod Athenis, posteaquam plebis dominatio invaluerat, non paucis contigisse constat, is quos deos inquilinus coluerat eosdem etiam civis colere non desiit, ut apud Aristophanem Execestides quidam, natione Car, conditione libertinus et civis adscripticius, irridetur quod barbarum habeat *πατρῷον*, hoc est quod non, ut genuini cives Attici, Apollinem, sed aliquem deum barbarum ut *πατρῷον* domi suae colat[12]). Neque aliter explicandum videtur, quod de Isagora Herodotus narrat, familiam eius Iovi Cario sacra factitasse[13]). Quippe Isagorae maiores e Caria in Atticam migraverant, et quum in civitatem recepti essent, sacra patria retinuerant[14]). Sic igitur non paucos deos barbaros aditum quodammodo in civitatem, privatis dumtaxat sacris, nancisci debuisse, idque legibus prohiberi non potuisse satis apparet.

---

11) Vid. Xenoph. de redit. c. 2, 3: *Λυδοὶ καὶ Φρύγες καὶ Σύροι καὶ ἄλλοι παντοδαποὶ βάρβαροι· πολλοὶ γὰρ τοιοῦτοι τῶν μετοίκων*. Cf. ad Isae. p. 296.

12) Aristoph. Av. v. 1534 Inv. cf. v. 764.

13) Herodot. V, 66.

14) Qui Neleo et Androcle ducibus ex Attica in Asiam transiecerant ibique in Lydiae et Cariae ora sedes occupaverant, multifariam sine dubio commerciis et connubiis cum veteribus harum regionum incolis miscebantur, unde fieri non potuit, quin etiam de religionibus eorum aliquid susciperent. Ex eorum posteris si qui postea in veterem patriam ad cognatos suos revertebantur, consentaneum est facilem his ad civitatem aditum fuisse. Tales Isagorae

Forsitan autem aliquis Josephi auctoritatem sic tueri conetur, ut legem ab eo commemoratam non ad quemvis exterorum deorum cultum pertinere dicat, sed ad id genus sacrorum, quae non intra privatos parietes continerentur et ab unius domus ac familiae hominibus fierent, sed ad quae multi promiscue concurrerent, a sacrificulis allecti, initiati et in thiasos congregati, qualia fuerunt Metroaca et Sabazia. Id si admittatur, concedendum tamen simul etiam illud erit, hoc genus sacrorum non propter contemptum quendam aut odium peregrinorum deorum, sed propterea potius prohibitum esse, quod verendum esset, ne quid forte mali atque flagitii ab huiusmodi thiasis committeretur. Verum ne id quidem probari potest, fuisse unquam omnes omnino peregrinorum deorum thiasos atque initiationes sic simpliciter et absolute legibus interdictos. Certe quae de huiusmodi sacris peregrinis primum in Atticam invectis relata sunt, in his nullam tam generalis interdicti mentionem fieri videmus. Magnae matris initia metragyrtes quidam, incertum quo tempore, e Phrygia invexit multasque mulierculas initiavit[15]). Is mox in barathrum coniectus esse dicitur, non quod peregrinae deae religionem introduxisset, sed quod insanire et augustorum mysteriorum sanctimoniam imitando profanare censeretur[16]). Scilicet non vera sacra ista Atheniensibus videbantur, sed vesani hominis deliramenta, quae si

---

maiores fuisse haudquaquam improbabile est, atque sic facile Iovis Carii cultum in hac familia explicari posse apparet. Non opus est igitur Herodotum aut malignitatis insimulare, cum Plutarcho, de Her. mal. c. 23, quasi barbaram originem nobili familiae affinxerit, neque erroris, quasi Carium Iovem cum Caraeo confuderit, a qua suspicione Bergkius, Beitr. z. griech. Monatskunde p. 60, se non abhorrere profitetur. Welckero autem, Mythol. I p. 642, Carius Jupiter a Caraeo non diversus esse videtur.

15) Vid. Phot. et Suid. s. v. *μητραγύρτης*. Schol. Aristoph. Plut. v. 431.

16) Schol. Aristoph. l. c.: *εἰς τὸ βάραθρον τὸν Φρύγα τὸν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ἐνέβαλον ὡς μεμηνότα, ἐπειδὴ προέλεγεν, ὅτι ἔρχεται ἡ μήτηρ εἰς ἐπιζήτησιν τῆς κόρης.*

impune grassari multosque in societatem furoris pellici paterentur, verendum esse, ne multa hinc et gravia rei publicae mala nascerentur. Postea tamen religio incessit, ne interfecto sacerdote quamvis furioso matrem deorum offendissent: quamobrem oraculi monitu templum ei consecrarunt iuxtaque posuerunt metragyrtae imaginem [17]). De sacris deae publicis nihil amplius memoriae traditum est: privatim coli aut non desiit, aut mox rursus coli coepta est, nec deerant Athenis metragyrtae, initiationes, thiasorum solemnia, modestiora tamen sine dubio minusque fanatica, quam quae olim tantam indignationem moverant.

Non admodum diversa erant Sabazii sacra, quorum Ninum et Glaucotheam antistitas supra cognovimus. Haec Aristophanis aetate Athenis introducta sunt: certe nullam ibi Sabazii mentionem ante hunc

---

17) Quo tempore haec facta sint, nemo indicavit. Videntur tamen ad Pericleam aetatem referenda: certe statuam matris deorum hac aetate a Phidia, qui obiit ann. 432, aut ab eius discipulo Agoracrito factam et in Metroo consecratam esse constat (Pausan. 1, 3, 4. Plin. H. N. XXXV, 5, 4), et Pausanias sic loquitur, ac si eodem tempore etiam Metroum exstructum sit: *ᾠκοδόμηται δὲ καὶ Μητρὸς θεῶν ἱερὸν, ἣν Φειδίας εἰργάσατο.* Nec multo prius sacra matris deorum Athenis innotuisse etiam Zoega statuit, Bassiril. ant. I p. 47: non parlandosi di simulacro nel metroo anteriore a quello fatto da Fidia, non pare che i riti metroi molto prima dell' età di Pericle celebrità in Atene acquistare incominciassero. Neque is, qui post Zoegam de Metroo scripsit, F. Gerhardus, aliter iudicat; quamquam Metroum Athenis longe antiquius fuisse autumat, non tamen matri deorum, sed — mirum dictu — Minervae consecratum. Scilicet Athenienses, verae rationis obliti, aedem olim antiquae urbis custodi consecratam nunc tanquam vacuam huic nuper invectae matri deorum dedicarunt. Extat Gerhardi commentatio in Act. acad. Berol. ann. 1849, et haec, quae commemoravi, leguntur p. 461. 467. 469. 475. — Leakius, Topogr. Ath. p. 79 ed. Bait. et Saupp., de metroo sic loquitur, quasi id iam Themistoclis aetate fuerit: nam statuam hydrophori a Themistocle apud metroum positam esse ait. Sed hic error manifestus est. Plutarchus enim, quem auctorem citat, vit. Themist. c. 31, statuam illam ab exule Themistocle Sardibus in Matris deorum templo repertam esse ait, transportatam scilicet illuc a Persis, quum bello Pers. secundo Athenis potiti essent.

poetam fieri videmus, neque improbabile est, omnium primam eius antistitam illam ipsam Ninum fuisse, id quod etiam Demosthenis scholiastes, is quem vulgo Ulpianum dicimus, affirmare videtur. Quamquam huius auctoritatem non satis gravem esse fatendum est: quumque illam non, quemadmodum alter scholiastes, propter veneficia damnatam dicat, sed quod sacra ista ad contumeliam et irrisionem sanctorum mysteriorum, h. e. Eleusiniorum, spectare viderentur, postea autem Athenienses oraculi monitu sacra illa rursus fieri passos esse, et Glaucotheae ut homines iis initiaret permisisse, dubitari vix potest, quin suam potius coniecturam, quam testatam rerum gestarum memoriam prodat. Ceterum etiamsi causam damnationis veram esse statuamus, apparet vel sic non propter peregrinitatem numinis, sed propter sanctissimarum religionum violationem poenam ei inflictam esse, plane ut isti metragyrtae, de quo supra dictum est. Legem vero de eiiciendo Sabazio eiusque sacris nullam latam esse, non immerito Lobeckius p. 668 etiam e Ciceronis silentio argumentatus est, qui quum arceri novos deos iubeat, idque etiam aliis visum esse demonstret, de Sabazio tamen nullam Atheniensium legem, sed Aristophanis tantum auctoritatem affert, apud quem Sabazius et quidam alii dii peregrini iudicati e civitate eiiciantur. „Quis dubitat," inquit „quin Cicero in Legg. II, 15, quo loco novos deos eiiciendos et saepe eiectos esse monet, si eiusmodi legem cognitam habuisset, hanc potius quam Aristophanis de Sabazio edictum ludicrum commemoraturus fuerit?"

Sic igitur satis undique probatum arbitror, legem illam, quam Josephus fuisse credidit, ipsis Atheniensibus inauditam fuisse. Nam quod unum fortasse aliquis opponat[18]), Socrati ab adversariis crimini

18) Quod Servius ait, ad Verg. Aen. VIII, 187: Cautum fuerat apud Athenienses, ne quis novas introduceret religiones: unde et Socrates damnatus est· non est verendum, ne quis hunc testem locupletem esse credat.

datum, quod nova numina (*καινὰ δαιμόνια*) introduceret: advertendum est, non sic simpliciter hoc ei obiectum esse, sed coniunctum cum altero crimine, quod deos publice receptos sperneret planeque ne haberet quidem in deorum numero, sed alia pro iis ac nova numina discipulis suis veneranda commendaret[19]. Quam vere hoc ei ab accusatoribus obiectum sit, nihil nunc attinet quaerere, estque hac de re iam satis superque ab aliis dictum. Illud autem quilibet sua sponte intelligit, longe aliud esse vetera numina ac religiones prorsus reiicere et cum novis commutare, id quod Socrates fecisse incusabatur, aliud autem nova numina aut novas numinum formas atque appellationes introducere novasque religiones iis quae antiquitus receptae erant adiungere. Hi enim, a quibus matris deorum aut Sabazii sacra instituebantur, sic facile se defendere poterant, ut nihil a se detrahi veterum deorum honori, sed addi potius aliquid dicerent: nam matrem deorum eandem esse quam Rheam, Sabazium esse Dionysum, neque dubitandum esse, quin dii ipsi tanto magis placarentur, quanto pluribus vel nominibus invocarentur, vel ritibus ac caerimoniis colerentur. Sic igitur etiam veteres Athenienses iudicarunt, eamque ob causam nova sacra non prohibuerunt, nisi si ea vel officere veteribus religionibus easque in contemptum adducere, vel corrumpere hominum mores et sceleribus atque flagitiis opportunitatem dare cen-

19) Josephus quidem l. l. Socrati etiam hoc crimini datum credit, quod insolitis quibusdam et satis miris iuris iurandi formulis uteretur, scilicet quod canem, anserem, platanum potius quam deos antestaretur. Et fuerunt etiam alii, qui id eum in contumeliam deorum fecisse opinarentur, velut Tertull. Apol. c. 14. adv. nat. c. 10. Lactant. D. I. III, 20, 15. Sed fecit hoc potius ob reverentiam deorum, ne in eiusmodi affirmationibus, quales in quotidiano sermone etiam de rebus saepe levissimis usurpari solebant, illorum nominibus temere et praeter necessitatem abuteretur. Veteres ipsi huiusmodi affirmationes, quae formam tantum, non vim et naturam iuris iurandi habent, a Rhadamantho praeceptas volunt: tantum abest, ut eas ad contemptum deorum spectare crediderint. Cf. Lasaulx, Der Eid bei den Griechen, in collectione opuscul. Studien des classischen Alterth. p. 200 sq.

serent. Hanc enim causam fuisse videmus, cur Phrygem istum metragyrtam in barathrum coniicerent Ninumque supplicio afficerent, non quod nova numina introduxissent, sed quod vesanis atque impiis ritibus aut etiam veneficiis poenam meruissent. Alii autem, qui eorundem numinum sacris operabantur, tuti a poena erant, dum neque publicas religiones violarent neque alia maleficia committerent.

Ceterum Sabazii sacra, quamvis multos haberent asseclas et thiasotas, semper tamen privata mansisse neque unquam publice suscepta esse videntur: Matri deorum templum quidem dedicatum, de publico autem eius deae cultu nihil amplius memoriae traditum esse iam supra diximus. Non tamen plane desunt peregrinorum sacrorum publice susceptorum exempla, quorum unum notissimum est Bendideorum. Fuit enim Bendis Thracum dea, quam plerique cum Diana, alii cum Hecate, alii etiam cum Proserpina aut compararunt aut confuderunt, nec dubitari potest, quin sacra eius a Thracibus inquilinis, quorum haud exiguus numerus Athenis maximeque in Piraeeo fuit, in Atticam translata sint. Sed haec aliquamdiu privatim tantum celebrabantur ab iisdem illis inquilinis, et si qui fortasse etiam de civibus illius numinis religionem amplexi erant: nam liberum id cuilibet fuisse ex iis quae supra disputata sunt satis apparere arbitror. Atque hoc ipsum, quod cives multi paullatim Bendidis cultores facti erant, in causa fuisse videtur, ut mox etiam publice sacra eius susciperentur festumque institueretur annuum, cum pompis et civium Atticorum et Thracum inquilinorum sacrificiisque publico sumptu apparatis[20]). Id Platonis aetate factum esse ex huius libro I de re publica comperimus[21]): fieri autem non aliter potuit, quam

20) De his vid. Corp. Inscr. I no. 157, 23. et Boeckh. Oecon. publ. Ath. II p. 129 ed. sec. — Templum Bendidis, τὸ Βενδιδεῖον, prope aedem Dianae Munychiae, commemorat Xenoph. Hell. II, 4, 11.

21) De anno non satis constat, neque opus est nunc quaeri.

lege ab aliquo oratore ad populum lata, cuius, ut de ceteris rebus quibusvis, sic etiam de religionibus aut adsciscendis aut respuendis illa saltem aetate summa potestas fuit. Nam quod nonnulli de his ab Areopago decernendum fuisse crediderunt, probari non potest[22]). Quod autem Strabo, X, 3 p. 471, Athenienses sicut in aliis rebus, sic etiam in religionibus φιλοξένους fuisse multaque peregrina sacra adscivisse ait, id quum verissime dictum esse non paucis exemplis et comicorum poetarum frequenti irrisione satis constet[23]), haudquaquam tamen sic accipiendum est, quasi omnes isti dii exteri, quos passim a multis cultos esse videmus, etiam populi scitis in civitatem quasi recepti fuerint publicosque honores acceperint. Id enim perpaucis contigit, et florente quidem re publica vix ulli praeterquam Bendidi, et fortassis etiam Aegyptio Ammoni. Certe ol. CXI, 4, a. Chr. 333, huic deo sacra a strategis rei publicae nomine sumptuque publico facta esse vetus inscriptio docet[24]), videturque etiam festum eius Athenis fuisse: quamquam de hoc unum modo testimonium non satis disertum extat[25]), neque quo tempore id

22) Cf. de comit. Ath. p. 299 sq. — Sed corrigendus est error iuvenilis, in quem a Petito aliisque inductus fui, de Harpocrationis verbis s. v. ἐπιθέτους ἑορτάς: ἐλέγετο δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ἐπίθετά τινα, ὁπόσα μὴ πάτρια ὄντα ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ ἐδίκαζεν. Non enim ἱερά intelligenda sunt Areopagique de his iudicia, sed sunt ἐπίθετα quaevis causarum genera, de quibus iudicium Areopagitis extra ordinem populi iussu mandabatur. Ne de γραφῇ ἀσεβείας quidem pro certo affirmari potest, eam legitime ad Areopagum pertinuisse. (Vid. C. F. Hermann. de theoria Deliaca, in Prooem. Gott. schol. ann. 1846/47.) nec de Paulo apostolo aliud quid refertur in Act. ap. XVII, 18 sqq., quam deductum esse in Areopagum, ut explicaret, quaenam esset nova sua doctrina. De accusatione et iudicio nihil dicitur, sed tantum irrisum a multis eum abiisse, nonnullos autem, in quibus Dionysium eiusque uxorem Damarin, verbis eius fidem adiunxisse.

23) Vid. Th. Bergk. de reliq. com. Att. p. 109.

24) C. I. Gr. no. 157. cf. Boeckh. de oec. publ. Ath. II p. 132.

25) Apud Hesych. s. v. Ἄμμων, de quo vid. Boeckh. l. l. p. 133. — De Iside, Osiri,

institutum sit indagari potest. — Quodammodo autem in peregrinis diis etiam Pan numerari potest, non ille quidem barbarus, nequaquam tamen cunctae Graeciae communis, sed ab initio, quantum quidem coniicere licet, Arcadibus proprius. De huius cultu publico Athenis suscepto nota est Herodoti narratio, VI, 105: bello Persico primo, quum Phidippidem cursorem Athenienses Spartam misissent auxilia arcessiturum, huic in Arcadia ad montem Parthenium prope Tegeam Panem se obtulisse eique mandasse ut renuntiaret Atheniensibus, mirari se, quod parum sui memores essent, quamvis valde iis faveret nec pauca favoris documenta partim iam edidisset, partim mox editurus esset. Hanc ob causam, addit Herodotus, bello feliciter confecto, quum vera Phidippidem renuntiasse crederent, non modo sacellum Pani sub arce consecrarunt, sed etiam sacra annua cum lampadodromiis instituerunt. Neque nos dubitabimus, quin fabulam istam de Phidippide multi pro vera habuerint; compositam autem putamus seu ab ipso Phidippide sive ab aliis, quo facilius populus ad honorem agresti illi et quasi de plebe deo tam insignem habendum permoveretur. Ortum autem hoc consilium post pugnam demum Marathoniam, et propter ipsum pugnae locum suspicamur. Nam probabile est in hac parte Atticae, quae Diacria dicitur, eratque pecori magis quam agri culturae apta, Panem deum ab incolis pastoribus et rusticis iam prius cultum fuisse, novimusque apud Marathonem etiam montem Pani sacratum fuisse cum antro, in quo eius dei *αἰπόλιον* monstrabant, hoc est lapides caprarum quandam similitudinem referentes[26]): quae religio si iam ante bellum Persicum ibi fuit, non mirabimur hinc multos permotos esse, ut in proelio ibidem gesto vicini

Nephthye apud Athen. cultis testimonia omnia recentioris aetatis sunt, nec liquet, privatime an publice culti sint.

26) Pausan. I, 32, 7. — Panis templum, *Πανεῖον*, in pago Anaphlystio Strabo commemorat IX, I p. 398. et in Salamine insula hunc deum cultum esse e Pausania I, 36, 2, cognoscitur, quo pertinet etiam, quod Aeschylus, Pers. v. 445, eum in propinqua Psyttalea versantem inducit.

dei numine se adiutos esse, eamque ob causam publicos ei honores deberi iudicarent.

Sed ne illos quidem deos, quos, quia cultus eorum antiquior fuit, ipsos quoque antiquos dicere licet, omnes iam ab ultima antiquitate primisque rei publicae initiis cultos esse adeo manifestum est, ut dubitari a nullo possit. Paucioribus, quos indignae Attici coluerunt, accesserunt mox alii ab advenis allati: Dionysus e Boeotia primum in vicinos Atticae pagos translatus paganisque sacris cultus, donec mox etiam in urbem receptus publicisque honoribus affectus est: Apollo, is quem Delphi et Dorienses coluerunt, Athenis non ante adoptatus est, quam priscis Atticis multi Hellenicae stirpis advenae, quos vulgo perperam Iones dicunt, admixti essent: Cereris et Proserpinae initia non ante, quam Eleusinii cum Atheniensibus in unius rei publicae communitatem accepti essent. Sed haec aliaque eiusmodi, quorum obscura indicia ex fabulosa historia eruenda sunt, hoc quidem in universum demonstrant, priscas religiones paullatim novis et adventiciis auctas esse, de singulis autem si quaeritur, quando et a quibus invectae sint, et quo modo tantopere invaluerint, ut non iam a paucioribus, velut gentibus, pagis aliisve populi partibus, sed ab universo populo publicis sacris festisque colerentur, aut raro aut nunquam ultra coniecturas lubricas atque incertas procedi potest.

Longius rem persequi nec libet hoc tempore nec licet: illud potius agendum est, cuius causa haec prolusimus.

Indicimus igitur Regis Augustissimi natalicia die crastini hor. XII in auditorio maximo ab universitate nostra celebranda, omnesque, quicunque rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, militares et civiles, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae d. XIV m. Octobris MDCCCLVII.